FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG...

Franz Ernst Bruckmann



FRANC. ERNESTI BRVCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXXI.

SISTENS

CHAMAECERASVM HVNGARICVM

ET

SALICEM ORIENTALEM DAVIDIS.

AD

VIRVM GENEROSISSIMVM, PRÆNOBILISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOMINVM,

DOMINVM

GEORGIVM CLIFFORD,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOREM CONSVLTISSIMVM, NOBILEM BATAVVM,

ET

CORYPHÆVM MERCATORVM AMSTÆLODAMENSIVM PRÆSTANTISSIMVM,
STVDII BOTANICI NEC NON HISTORIÆ NATVRALIS SECVLI NOSTRI SCIENTISSIMVM,
INGENS BELGII LITERATI DECVS
AC
MÆCENATEM SVMMVM.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVIII.



VIR
GENEROSISSIME, PRÆNOBILISSIME
ATQUE
DOCTISSIME,
MÆCENAS OMNI HONORIS CVLTV NVNQVAM NON PROSEQVENDE!

Voluptatem juxta ac delectamentum, quod, *Vir Consultissime ac Praenobilissime*, a perpluribus jam retro annis inter alias *Tuas* occupationes concurrentes & in eo quæsivisti, ut ex nulla non orbis terraquei parte, & proxima & remota, imo & remotissima plantas rariores, in laudem ac honorem certe immensi totius regni vegetabilis creatoris, qui tam discrepantia gramina viridia & smaragdina, tam distinctas herbas utiles, tam multiformes flores egregie coloribus pictos, tam varias stirpes humiles, tam numerosas arbores altas, sylvas, prata, montes & sic porro ex terræ gremio provenire jubet ac jussit, non in alium, quam proximum, usum, ad ulteriorem studii botanici, manci

adhuc

adhuc & multis perfectionem, quod nullo non tempore peculiari amore & æstimatione prosequutus fui, & tandem quoque in Tuam propriam ac privatam delectationem, non sine magnis sumtibus colligere curares, utque quæque in maxima admiratione habui. Testimonium perfectum ac publicum, nempe viridarium *Tuum* percximium, perpulchrum ac sumtuosum, Hartecampi situm, in toto orbe pronunc celeberrimum, nullique certe cedens, cujus plantas non ubivis locorum obvias *Te* jubente sedulus Dom. Doct. Med. Linnæus, natione Suecus, Botanicus præstantissimis annumerandus, in botanophilorum gaudium & peculiare rei herbariæ emolumentum, cum perfectissima descriptione & accuratissima delineatione æri incisa, non neglecto naturali & optimo vegetabilium charactere, quem quidem librum hic loci nondum vidi, cujus tamen ecceculta in variis actis litterariis publicis & in epistolis amicorum ad me datis, nec non nuper a Dom. Doct. Isaaco Lawson, Scoto, cum me in itinere suo ad metallifodinas Hercynicas per aliquot dies visitaret, & legi & audivi, cum illis communicavit; ac herbarium *Tuum* vivum splendidum, aliquot millia plantarum variarum non sine summo labore ac ingentibus sumtibus ex omni terræ angulo collectarum, de industria exsiccatarum, & purissimæ chartæ agglutinatarum, comprehendens, prostat. Hæc singula modo dicta & laudata, *Vir Consultissime*, pronunc me inducunt, *Tibi* aliquid de talibus vegetabilibus, quæ partim in Botanicorum scriptis plane non, vel saltim insufficienter delineata observavi, & quibus aliquid addere opus judicavi, commemorare, præsertim illa hic in medium afferre placet, quæ mihi in itineribus obviam venerunt. Civilitas *Tua* nec non magnam elegantia me totum persuasum habent, *Te* non prorsus hanc vilem chartam abjectiurum, sed potius

dicta

tius placitum *Tibi fore* prone & benevole illam perlustraturum.

Sic primo in Hungaria superiori plantas inter sylvestres & campestres hinc inde annotare licuit cerasum quandam pumilam humilemque, suffruticem ramosum sponte, absque ulla cultura, nascentem, vix ulnæ quadrantem vel sputhamam altitudine hic superantem & supra terræ superficiem stantem, rarissime vel nunquam in isto regno ad ulnæ altitudinem sponte accedentem, vel cubitalem aut bicubitalem in pingui solo non excedentem. Hæc arbuscula non procul Eperiesis copiose nascebatur, foliolis cum aliarum cerasorum foliis, quoad ad formam externam, convenientibus, in margine parum vel vix sensibiliter crenatis, parvis, viridibus, autumno deciduis; floribus & horum petalis a cerasi vulgaris non, nisi parvitate, discedentibus, regularibus, pentapetalis, albis; fructibus vel potius nucleis minoribus tectis bacca edulis, monopyrena, rotunda, rubra, eleganti, subacidiuscula & parum adstringente vel acerba. Pulpa perpauca adest, & plerumque avium præda. Vix credo, quendam in Hungaria hos fructus minores pro cibo collecturum. Sunt forsan pueri voraces & viatores, qui in transitu ex curiositate illos degustent? Fructus integri præterea sunt parvuli, ex tenui & brevi pedicula singuli pendentes, maturescunt mense Julio & ad comedendum apti fiunt, alias cerasis, quoad ad externa, persimiles, sed tantum quadruplo minores. Ramusculum nobiscum ex Hungaria allatum cum foliis & cerasiorum fructibus fig. I. Fig. I.
del neagum, ac nucleos ex carne desumtos fig. II. expl Fig. II.
itos, in magnitudine naturali apponere placuit. Crescit copiose ad vias publicas, agrorum margines, occurrit frequentius in sylvis rarioribus minime densis, aliisque incultis locis. Botanicis, Matthiolo, Carolo Clusio in aliis

 ratio-

rariorum aliquot stirpium per Pannoniam observatarum historia pag. 91. Casparo Bauhino in Pinac. 450. *Chamaecerasus*, rectius *Chamaecerasus*, χαμαικέρασος, *Cerasus pumila* audit; a Germanis vocatur Erd-Weichsel, quia proxime ad terram arbuscula crescit, ramusculos, folia & fructus, austeros quasi dependentes ad terram vergentes habet, Wald-Kirschen, wilde Kirschen, quia absque cultura ulla humana provenit; Hungari *Vad-megy*, i. e. *sylvestrem merasum* (merasum autem vocant serius maturescentem illam cerasum fructu austero & nigro) nominant; a Gallis, apud quos non nascitur, sed saltim in hortis colitur, *Cerisier nain*, & ab Italis *Ceregio nano* nuncupatur. Hic suffrutex pumilus in Bohemia quoque absque cultura provenire dicitur, sed in itineribus per hocce regnum nullibi locorum mihi occurrit. In Moravia praeterea, archiducatu Austriae inferioris juxta semitas ac vias, ad vinetorum margines, locis editioribus & siccis, laete & sponte virens saepe reperitur, &, ut Matthiolus annotavit, in Tridentino quoque solo.

Unica haec descripta & delineata Chamaecerasi species mihi tantum nota & observata; Christophorus Plantinus in icon. stirpium seu plantarum exoticarum pariter ac indigenarum T. II. pag. 173. & adducit *Chamaecerasum Alpigenam* seu *Alpinam*, absque floribus, plantum forsan unam eandemque cum nostra exigua fruticosa ramosa stirpe? vel intelligit Xylosteum alterum quorundam, a Matth. de Lobel in plantarum seu stirpium historia pag. 593. adductum? qui & *Chamaecerasum Cordi* vocat, & quam plantam Ch. Mentzelius in Indice nominum plantarum universali pag. 71. Periclymenum rectum vel mas Gesneri vel Cornum foeminam esse putat.

Fructus memorati officinas pharmaceuticas quidem non ingrediuntur; interim tamen cum aliis cerasis

sub-

subcidiariis in medicina eosdem praestent, credo, si ad-hiberentur, effectus, ob parvitas eorum forsan obsolet. Figuram hujus plantae vid. in Dominici Chabraei sciagraphia stirpium Class. II. pag. 15. Evolvendus quoque Rzaczynski in Hist. nat. cur. Polon. pag. 198. Et liceat ultimo ex Caroli Clusii laudata historia, cum liber hoc nostro aevo rarioribus annumerandus sit, pauca sequentia hic exscribere:

„ Nequaquam mihi probatur eorum opinio, qui „ Periclymenum rectum, *Plinianam Chamaecerasum* esse „ existimant; cum ejus fructus nulla saporis gratia com„ mendetur, nullamque habeat tota stirps cum Cerasio „ affinitatem. Sed magis verisimile judico, ipsius Cha„ maecerasum non esse diversam ab ea, quae plurimis Pan„ noniae, & vicinarum quarundam provinciarum locis „ sponte provenit. Nam lib. 15. cap. 25. postquam ali„ quot cerasi genera enumeravit, addit: Sunt & Mace„ donica parvae arboris, raroque tria cubita excedentia „ & minore etiamnum frutice Chamaecerasi.

Periclymenum rectum non esse Chamaeceras. Plinii.

„ Variae porro altitudinis invenitur hic frutex; „ nam interdum lo cubitalem, bicubitalem, aut amplio„ rem etiam longitudinem attollitur, locis nempe um„ brosis & tenui solo; nonnunquam vero pedalem haud „ superat magnitudinem, siccioribus videlicet locis, & „ juxta semitas. Tenues autem & lentos habet ramulos, „ seu virgas, nigricante & cinereo cortice obductas, quae „ ex intervallis tubercula quaedam, & veluti gemmas „ proferunt, unde veluti ex amento, aliquot exigua fo„ liola, Myrti Tarentinae foliis aequalia prodeunt, simul„ que flores bini, terni, aut quaterni sese explicant, can„ didi, quinque foliolis constantes, cum multis in medio „ staminulis, Cerasi vulgaris floribus persimiles, mino„ ra tamen: infra hos flores, atque etiam in extremis

Chamaecerasi historia.

Fig. III.

„ virgis,

„ virgis, ex aliis tuberculis exeunt sine floribus folia su-
„ perioribus majora, Cerasi vulgaris fructu acerbo folii
„ formam imitantia, per ambitum similiter crenata, sed
„ longe minora, & atro virore splendentia, gustu ama-
Fig. IV. „ ricante; floribus succedit exiguus fructus, rotundus,
„ carnosus, per maturitatem ruber, sapore exsiccante,
„ minusque grata quam sint acida cerasa, osseo intus nu-
„ cleo: radix crassa, longa, & lignosa, paucisque ad-
„ modum fibris prædita, sed profundum petens, & quæ
„ difficulter erui possit. Crescit passim in Pannonia,
„ Austria inferiore, & Moravia, editioribus siccisque
„ locis, ad vinetorum etiam in collibus siccorum margi-
„ nes, & juxta publicas vias. In Bohemia videre non
„ memini. Floret Aprili, cum primum folia germinare
„ incipiunt. & fructus Junio, interdum etiam Julio so-
„ lummodo maturus est.

Secundo loco adest *Salix Orientalis Davidis*, ex Bagdado, Bagdad, olim Seleucia, in provincia Diarbechia, quæ multis retro seculis Babyloniæ & Chaldeæ appellatione gavisa fuit, in cujus regione non tantum copiose sed & sponte hæc planta fruticosa crescit; nasci-tur quoque in aliis Orientis partibus ad fossarum aggeres, ad Babylonis flumina, Euphratem & illius fossas, nec in pratis uligine madentibus. Babylonia ob peculiarem istarum salicum frequentiam apud vatem sacrum & divinum, Jesaiam / videtur Vallis salicum appellari.

Hoc vegetabile vimineum a laudato Rege sancto & justo dubio procul inde cognominatum, quod moderator dictus populi Judaici optimus mentionem istius fecerit in Psalterio, & quidem Psal. CXXXVII. ℣. 1. 2. & sequentibus verbis: Ad Babylonis fluvios ibi sedeamus, ploraveramus Sionem (Hierosolymæ exitium) recordantes; ad salices illarum suspendimus citharas nostras; (eil virgne...
fus-

(alicum enim arbores tunc suspensis citharis, instrumentis musicis) quum illic qui captivos nos tenebant, verba cantici, & qui contumulabant nos, laetitiam postularent, jubentes eis canere de canticis Sionis. Germanicorum bibliorum versio haec est: An den Wassern zu Babel sassen wir, und weineten, wenn wir an Zion gedachten. Unsere Harffen hiengen wir an die *Weiden*, die drinnen sind. Denn daselbst hiessen uns siengen, die uns gefangen hielten, und in unserm Heulen frölich seyn, lieber singet uns ein Lied von Zion. Ex quibus postea verbis poëtico calamo conscripta cantilena Germanica, cujus initium: An Wasser-Flüßen Babylon: ortum habet, in qua sequentes leguntur versus:

An Wasser Flüssen Babylon,
Da sassen wir mit Schmertzen;
Als wir gedachten an Zion,
Da weinten wir von Hertzen;
Wir hiengen auf mit schweren Muth
Die Harffen und die Orgeln gut
An ihre Baum' der *Weiden*,
Die drinnen sind in ihrem Land; &c.

Suspendebant citharas ad salices, nam nullam ex instrumentis musicis captivi voluptatem percipiebant, ad tristitiam istos statim revocantes, hinc citharas suspendebant, donec soluta captivitate, majore quam quod caperent gaudio & cantantes reverterentur in patriam. Cantica & odas Sionaeas, dum stabat carissima patria, Deo in diebus festis & aliis solennitatibus olim & alias cantabant. Conf. Matth. Hilleri Hierophyton seu commentarius in loca S. Scr., quae plantarum faciunt mentionem p. 43.

Haec arbuscula frugiperda Tournefortio, Botanico Gallico praestantissimo, *Salix Orientalis flagellis deorsum pulcherrime pendentibus* in suis editis vocatur, & est planta tam Fig. V. ex nostro herbario vivo.

X X spon-

spontè arborescens, viminea, flore imperfecto staminibus gaudens, julifera, foliis subtus seu interne albescentibus seu incanis, parum hirsutis & mollibus, supra viridibus, oblongis & acutis, angustis, parum serratis vel crenatis, semine papposo molli, ramisque tenuibus. Codex S. Scr. quando salicis mentionem fecit, nunquam non istas *torrentum* intelligit *salices*, adest locus in libro Jobi cap. XL. ℣. 27. tegunt Behemoth (*salices torrentium* sunt omnium Elephantorum ibidem latibula) i. e. elephantum umbrosa, cingunt ipsum *salices torrentis*. Das Gebüsche bedeckt ihn, den Behemoth, und die *Bach - Weiden* bedecken ihn.

Ramum hujus *salicis torrentium* ad ramum palmae in basi seu parte inferiore, qua ramus ab arbore abscissus est, cum vimine salgno alligatum Judaeorum populus ad festum tabernaculorum adhuc nostro tempore singulis annis adhibet, & ramulgulos nominatos ex Judaea petit. Aliquot certe millia thalerorum quotannis pro talibus in Terram sanctam mittit, tenetur enim, secundum legum suarum tenorem, curare, isti ut ex dicta regione singulis annis vectora apportentur. Nostri Wolffenbuttelenses Hebraei affirmaverunt, quod nunquam non pro quolibet ramo tres thaleros solverent. His ramis in dicto festo paterfamilias decussatim plagas per aëra in hypocaustis & cubiculis facit, ad daemones erratica, malas species & larvas metum afferentes, quas in cerebro cum domesticis sibi fingit, expellendas. Levit. XXIII. ℣. 39. 40. quinto decimo die mensis septimi (qui primus dicitur festi tabernaculorum) sumite termitibus arborum speciosarum, spathis palmarum & ramis arborum densarum, cum salicibus torrentis (quibus viminibus colligebant ramos: & laetabimini in tabernaculis, coram domino, Deo vestro, septem diebus. Und solt am ersten Tage Früchte nehmen

men von schönen Bäumen, Palmen-Zweige, und Meyen und dichten Bäumen- und *Bach-Weiden*, &c. Ex museo nostro ramum talem palmæ cum annexo ramusculo salicis torrentum ex Judæa transmissum addere potuissem, nisi Palma arbor notissima, nec præterea ramus talis quotannis in locis, in quibus Judæi habitant, (sed felix civitas, in qua nec Abrahamus, nec Isaacus, nec Jacobus domum habet) videndus.

Quod ad hujus plantæ propagationem attinet, colitur enim in præsenti in horto medico Lugdunensi & Helmstadiensi, nec non in viridario amici cujusdam fi'e lissimi, Dom Doct, Med Meuschen, Osnabrugi in Westphalia, sciendum, istam admodum esse facilem, & tantum notandum, quod solum ramusculi abscissi, quod ad partem dimidiam terræ committendi, ita tamen, ne Boreas, e Septentrione ventus, istis nocere possit, alias facile supra terram a gelu alto damnum patiuntur, interim tamen verno ac æstivo tempore rursus recentes propullulant surculi, novaque germina. Nec necesse erit plantulas brumali tempore in hybernacula, Gewächs-Häuser, transportare, nam aërem liberum, ut aliæ arbores fructiferæ, bene perferre possunt, gradum tamen mollitiei & teneritudinis circiter similem habent cum Persicis & Armeniacis. Celeriter crescunt & læte virent, amant quoque insimul locum natalem terramque humidam & calidam. Dom. Gronovius, Lugdunensium Æsculapius & Botanicorum totius Belgii princeps, communis noster amicus integerrimus, primus fuit, qui hancce plantam ex Oriente in Europam afferri jussit, cujus solum non reciere videtur In sequentibus plures Tecum, *Vir Generosissime*, communicabo plantas, non ubivis obvias. Admitti reliquum, in præsenti, precamur, hanc levem

episto-

epistolam serena & læta fronte, & dignum me impostrum adhuc Tuo favore & gratia æstima, qui sum semperque ero,

Vir Generosiss. Consultiss. atque Doctissime,


Fautor summe colende,

Scrib. Wolffenb.
d. 3. Jun. 1738.

obsequiosissimus ac deditissimus nominis TVI
cultor
Brückmannus, D.



Ad Ep. St. LXXI.



26

